

Zincum oxydatum album.

(Loco *Florum Zinci.*)

℞. Zinci sulphurici, quantum vis.

Solve in

Aquae fervidae Decuplo,

filtra et praecipita sufficiente quantitate

Natri carbonici, in Aqua soluti.

Praecipitatum album bene ablutum et caloris ope siccatum, in vitro clauso serva.

Zincum purum.

Zincum exploretur, an heterogeneis metallis inquinatum sit, et simul depuretur, methodo sequente:

Liquefiat in crucibulo, igne tam moderato, ut maneat fluidum. Agitando virga ferrea, injice per vices Sulphuris frustula. Si Sulphure formantur scoriae, Zincum impurum est; quod depuratur, scorias removendo, et denuo Sulphur injiciendo, idque continuando, donec tandem comburatur Sulphur immisissum, nullis omnino productis scoriis.

Zincum sulphuricum.

(*Vitriolum Zinci.*)

℞. Zinci puri in frustula parva diffracti, quantum placet.

Solve in

Acidi sulphurici diluti quantitate sufficiente.

Solutione facta filtra, et post idoneam evaporationem in crystallos redige, quas siccatas serva.